

Admodum Ill/ris et R/me Domine. Ego quidem aliquid egi in gratiam tuam, tum ut admitteretur filius ad sedem patris, quod novum et insolens multis hic videbatur, tum ut ^{non ?} condonarentur vel diminuerentur jura Sedis Apostolicae. Sed multo minus est quod egi, quam id quod agere cupivissem, et plane egissem, si in tempore admonitus fuisset. Quamvis enim de facie mihi sis ignotus, Reverendissime Antistes, tamen laudes tuae mihi jamdudum notissimae sunt praedicatione ill/ri Cardinalis de la Rochefoucauld et patrum Societatis Jesu [cui ordini et ego per Dei gratiam adscriptus fui ante annos quinquaginta quatuor] in quorum ordine ego etiam numeror; dignitas enim cardinalitia vel episcopalis auget onus, sed non tollit obligationem votorum religionis, aut etiam observantiarum communium, nisi quatenus impediunt officium pontificale vel cardinalitium. Itaque, Antistes optime, novi te ex fama, etsi non de facie, et propterea diligo te in gratiam Dei, et gratulor isti Ecclesiae, quod tam bonos pastores nacta sit, meque utrique offero paratum ad omnia obsequia, si forte in hac urbe opera mea vobis necessaria vel utilis esse possit. His vale R/me praesul ~~mei~~ memor in sanctis precibus tuis. Romae die 18 Octobris 1614.

20

Admodum ill/ris et R/mae D.V.

Uti frater ad omne obsequium paratissimus

Admodum ill/ri et R/mo D. D. Episcopo

Gratignonopolitano.